

**C**halcedonense Synodo credendorum regula contra Nestorium æquæ ac Eutyebetem, lecta fuit. Ut autem effugiat, quod contra regeri ex styli diversitate ab alius Petri monumentis potest, conjecturam ita circumscribit, ut sentiat Leonem conscriptam à Petro epistolam proprio transcripsisse stylo, & aliqua suo Marte adscripsisse. Id omne ex sermone 75. Chrysologi confirmare nititur, ubi se ex itinere Ravennam quadragesimali tempore reversum, ac propterea sessum admodum dicit. Conjecturâ se veritatem assecutum credidisset fortassis Mita si Nostrum legisset, cum ex allato loco adstrui videatur Petrum à Leone vocatum epistolam scripsisse, quæ in Chalcedonensi Concilio Eutyebetis hæresim jugulaverit. At ex subsequentibus agnoscitur Agnellum de epistola à Petro omnibus consentientibus scriptâ locutum; ait enim ostensam Beati Petri Chrysologi epistolam, cujus etiam partem exhibet, de qua statim. Mita itaque conjectura hinc nullo modo fulciri potest, quæ aliunde etiam debet, ruitque, etenim post quadragesimam anni 449. scripta est epistola Leonis, de qua fit quæstio, die videlicet 13. Junii, cum præcedens ad eundem Flavianum data fuerit etiam post quadragesimam, die videlicet 21. Maji. At qui de ea re dubitari possit, cum stylus, ac verba ipsa Leonem sonent?

**V**i. Sequuntur apud Agnellum, quæ spectant ad alias Leonis epistolas, ob impetrandum Augustorum auxilium, quo res Catholica in pseudo-Synodo Nicæna male habita, novo generali Concilio restitueretur. Fædè labitur, nisi Exscriptorum vitio Augustorum, & Augustarum nomina sint mutata, Honorium memorans, ac Gratianum, qui è vivis dudum ante Eutychianæ hæresis tempora abierant. Honorii loco cogitavimus an Honoria substitui possit, at cum nulla extet Leonis epistola ad eandem, pessimâ etiam ob superum famâ laborantem, emendationem hujusmodi sustineri non posse cognosco. Martiani etiam loco, facili lapsu, Gratianum intrusum suspicabar; at illud obstat, quod eadem periodo rem usque ad Martianum prolata dicit. Theodorum insuper,

## LATINA EPISTOLA

Divi Petri Chrysologi vulgata.

Dilectissimo, & merito honorabili Filio Eutyebetis Presbytero; Petrus Episcopus Ravennæ.

**T**ristis legi tristes literas tuas, & scripta mœsta mœrore debito percurri, quia sicut nos pax Ecclesiarum, Sacerdotum concordia, tranquillitas Plebis gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit, & deicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Tringinta annis humanæ Leges humanas adimunt quæstiones; & Christi generatio, quæ divina Lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes Principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de Naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Jesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, & Sacerdotes quid sit, qui Virginali partu de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione disquirunt? Cum vagitus daret Jesus in cunis gloriam in excelsis Deo clamat cœlestis exercitus; & modo, quando in nomine Jesu omne genuflectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, originis ejus quæstio commovetur? Nos Frater carissime unâ cum Apostolo dicimus;

**A** quem in sancto Concilio ait cum Eutyebete certasse, & ostensis Sanctæ Scripturæ voluminibus, Sanctorumque Patrum testimoniis Catholicam Fidem de duabus Naturis stabilivisse, tota veterum Actorum Concilii à Flaviano coacti (in quo tantum Eutyches auditus est Eusebio Dorileense, & Flaviano ipso Hæreticum urgentibus) series ignorat. Omnia itaque hic apud Nostrum à veritate abeunt.

**V**ii. Illud è re esse inficiabitur nemo, quod ad epistolæ, de qua in superioribus sermo fuit, integritatem pertinet, quam ex hoc Agnelli loco uberimè probatam habemus contra nonnullos, qui contendunt postrema verba ad Summi Pontificis in Fidei dogmatibus supremam auctoritate spectantia, Chrysologi non esse, sed recentius addita à Romanæ Sedis studioso, eique additò. Gerardi Vossii hi auctoritate nituntur, qui epistolam Chrysologi Græco-Latinam edidit cum aliis nonnullis subjunctis Gregorii Taumaturgi operibus impressis Moguntia anno 1604., monuitque in duplici Vaticano Codice postrema illa verba deesse. Inde Dupinius prælaudatus in Bibliotheca hæc, quæ latine versâ exhibeo, habet; porro litera finiri videtur ante ea verba, & quod sequitur additum est ad Sanctæ Sedis auctoritatem commendandam. At Agnello, ut adnotavimus, & suis locis constabit erga Sanctam Sedem non bene affecto, & nihilominus verba ex epistola, seu sensum eorundem referenti, nullus sanæ crisis studiosus refragabitur. Constat profectò usque ad Agnelli tempora in Ravennatis Ecclesiæ, licet longo schismate afflictæ, Codicibus integram Chrysologi extasse epistolam, quam postmodum decurrerint, qui Sanctæ Sedis auctoritatem in rebus Fidei dissimendis impugnare, idque potissimam imputandum iis, qui græcâ fide, in græcâ lingua latinam epistolam transtulere. Hic operæ pretium esse cogitari latinam ipsam vulgatam apud Baronium, aliosque, & è regione textum ejusdem, qualem in Codice Estensi reperi, describere, adjectis suo loco periculis Agnello relatis, ut Lector, quid in hujusmodi re sentiendum sit, diducet.

## E A D E M E X C O D I C E

E S T E N S I.

Dilectissimo, & merito honorabili Filio Eutyecheti Presbytero; Petrus Episcopus.

**T**ristis legi tristes literas, scripta mœsta mœrore, & luctu percurri, quia sicut nos pax Sacerdotum, tranquillitas Plebis, gaudere facit gaudio cœlesti, ita nos affligit, & deicit fraterna dissensio, præsertim cum talibus oriatur ex causis. Tringinta annis humanæ Leges humanas adimunt quæstiones; & Christi generatio, quæ divina lege scribitur inenarrabilis, post tot secula disputatione temeraria ventilatur? Quid Origenes Principiorum scrutator incurrerit, quomodo Nestorius lapsus sit disputans de naturis, non latet prudentiam tuam. Magi Jesum in cunabulis Deum mysticis muneribus confitentur, & Sacerdotes quid sit, qui Virginali partu de Spiritu Sancto natus est, dolenda interrogatione discurrunt? Cum vagitus daret Jesus in cunis gloriam in excelsis Deo cœlestis clamat exercitus; & modo, quando in nomine Jesu omne genuflectitur cœlestium, terrestrium, & infernorum, originis ejus quæstio commovetur? Nos Frater cum Paulo dicimus; etsi novimus Jesum secundum carnem, sed nunc jam non novimus, nec possumus curiose replicare, qui jubemur honorem dare, & tamen